



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

6. De iuuentute & senectute.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

naturalis. Nec refert quod hic secundus motus posset impediri à voluntate, aut appetitu, quia licet calefactio possit impediri, non sequitur tamen, quod non sit motus omnino naturalis, per huiusmodi enim motu nihil aliud intelligimus, quam motum, qui provenit effectiue à causa, quæ non est voluntaria nec libera, quidquid sit, an posset per talem causam impediri.

Advertendum autem, quod hæc resolutio supponat aliquando dari motum respirationis, dependentem ab imperio appetitus, ut cum volumus respirare crebrius aut rarius, aliquando vero dari motum independentem à tali imperio, ut est ille, quem habemus, dum dormimus.

32. *Quares secundo*, quibus animantibus conveniat respiratio.

Quibus animantibus convenit respiratio.

Philosophus omnibus & solis illis, qui habent pulmonem ascribit respirationem; ex illis vero ea, quibus pulmo est fere sanguis & fungosus, ut sunt ranæ, mures fluviales, testudines, crocodili, delphini, balenæ, & similia minus frequenti indigent respiratione, & propterea diu, sed non semper manere possunt sub aqua, prout minori vel maiori indigent respiratione. Alii vero pisces nec pulmonem habent nec respirationem. Alij vero putant omnibus animantibus convenire respirationem, etiam piscibus; & quibus deest pulmo, adesse aliquid aliud supplens defectum eius quantum ad hoc, sicut loco sanguinis aliqua habent alium humorem æquivalentem quantum ad eorum nutritionem.

Quod si obiiciatur ipsis, non adesse ærem, quem attrahant & emittant, quandoquidem semper maneat sub aqua.

Respondent, id negando, dicunt enim per totam aquam reperiri spiritus aereos, ac etiam aerem ipsum.

Et si iterum obiiciatur, quod si adesset aer sub aqua aut intra ipsam, cetera etiam animantia possent respirare sub aqua aut intra ipsam, quod est falsum: *possent respondere*, quod id non sequeretur, quia maior aer ceteris animantibus posset requiri ad respirationem sufficientem, quam piscibus, & consequenter non haberent sufficientem aerem, quem attrahant.

Deinde, aliis animantibus, præsertim pluribus, posset obesse aquæ attractio, quam simul cum aere attrahere deberent: & propterea quamvis adesset aer sufficiens, non possent bene respirare sub aqua.

33. *Hac in re existimo dicendum cum Philosopho*, quod pisces non respirent sub aqua, quia quandoquidem possint attrahere absque detrimento aquam, eamque rursus emittere, verisimile est quod non indigeant alia refrigeratione, nec consequenter respiratione; & quia vel non est aer intra aquam, vel plane accidentale est quod sit sub illa: & nulla ratio aut experientia probat, quin pisces possint vivere in aqua, quamvis non haberet intermixtum aerem. Hoc tamen non obstante; credo eos habere virtutem respiratiuam, quia illa ipsa virtus, qua mediante possint attrahere & emittere aquam, potest sufficere ut inspirent, & expirent aerem; & videtur patere experientia, quod extracti extra aquam respirent propriissime.

Dices: pisces conservati in vase parvo non obturato possunt vivere diu: non possunt vero in vase obturato: ergo signum est quod respirent; quia alias obturatio vasis non impediret vitam ipsorum.

Respondeo, negando consequentiam: quod enim non vivunt in tali vase, non oritur ex eo, quod non possint respirare, nam si respirare potuissent sub aqua, ille ipse aer, qui esset in aqua illa, quando obturaretur vas, posset ipsis semper sufficere. Sequitur ergo ipsorum mors ex aliqua alteratione aquæ, quæ ex illa obturatione procedit, aut ex defectu alicuius alterius concursus.

Quis motus est prior inspiratione, an expiratione.

Queritur denique, quis motus prior sit, inspirationis, an expirationis. *Philosophus dicit* priorem inspirationem, sicut posterior motus viventis dum moritur, est expiratio. Sed reuera existimo hoc esse valde incertum, ac fortassis in aliquibus priorem inspirationem, in aliis expirationem.

34. *DE* hominum iuventute & senectute potissimum hic agendum, quorum vita in tres ætates à Peripateticis præsertim diuiditur: quorum *Prima* ad annum vigesimum quintum, aut circiter extenditur, & comprehendit infantiam, quæ quatuor primos annos complectitur; pueritiam, quæ deinde vsque ad decimum; pubertatem quæ vsque ad decimum octavum; & adolescentiam quæ vsque ad vigesimum quintum complectitur: tota autem hæc prima ætas, nomine desumpto ab hac ultima, ac magis perfecta parte vocatur adolescentia nonnunquam: nonnunquam vero pueritia etiam, nomine desumpto à prima parte. *Secunda ætas*, quæ media est, comprehendit ab anno vigesimo quinto vsque ad quinquagesimum, & diuiditur in iuventutem, quæ ad trigessimum quintum, vel etiam quadragessimum: & virilem ætatem, quæ deinceps vsque ad quinquagesimum porrigitur. Vocatur autem hæc secunda ætas florida, quod tunc homo soleat maiorem habere perfectionem; & etiam iuventus, nomine desumpto à prima parte. *Tertia & ultima ætas*, quæ senectus dicitur, diuiditur in primam & ultimam senectutem: prima comprehendit à quinquagesimo vsque ad sexagesimum quintum: secunda vero cæteros subsequentes annos, & vocatur decrepita.

Tres ætates hominum.

Fundamentum huius diuisionis desumptum est ab ordinaria mutatione, quam in hominum vita animaduertimus, quæ tamen in aliquibus casibus mutari sine dubio potest, adeo ut aliquorum prima ætas possit, vel extendi ad plures annos, vel ad pauciores restringi: & ita de reliquis ætatibus, ac earum partibus censendum est. Nec deessent etiam fundamenta plurium aut pauciorum partitionum, prout quis vellet advertere ad differentias aliquas, quæ in hominum vita discerni possunt. Vnde illi Astrologi, qui singulis planetis in singulas partes ætatis hominum influxum tribuunt, non nisi septem admittunt diuidentia membra (loquor de membris diuidentibus, sicut partes totius integralis dicuntur membra diuidentia ipsum totum integrale) nempe *adolescenciam*, cui *Lunam*, à qua humorem & teneritudinem accipit; *pueritiam*, cui *Mercurium*, à quo incitatur ad ludos & disciplinas capessendas; *adolescenciam*, cui *Venerem*, à qua ad venerea accenditur; *iuventutem*, cui *Solem*, à quo vigorem accipit & propensionem ad altiora; *virilem ætatem*, cui *Mariem*, qui animositatem, & pugnandi studium influit; *senectutem*, cui *Iovem*, à quo gravitatem & maturitatem haurit; & denique *decrepitam ætatem*, cui attribunt *Saturnum*, à quo inditam habet fragilitatem & morositatem: cui etiam eidem ætati decrepitæ de nouo præsidere aiunt *Lunam*, quæ illas propensiones instillat, ex quibus fit ut senes repuerascere dicamus, ac propterea bis esse pueros.

Quot partes ætatis secundum Astrologos.

Qui vero totam hominis ætatem quatuor anni temporibus conferunt, tanquam si inter se proportionem quandam habeant, illam in quatuor partes partiuntur, *pueritiam*, *iuventutem*, *virilem ætatem*, & *senectam*: pueritiam conferentes *veri*, propter humoris vbertatem, & excrementiam, ut ita loquar; iuventutem *æstati*, propter fortitudinem, virilem ætatem *autumno*, propter maturitatem, senectutem *hyemi*, propter molestias.

37. *Quares hic*, cur partus septimestris, hoc est qui septimo mense nascitur, vivere soleat, non soleat octimestris, qui octavo. *Hippocrates docet* rationem esse, quod quemadmodum morbus dies habet criticos, seu iudicatorios, qui ordinarie sunt septimus, & nonus, ita etiam partus habeat suos menses iudicatorios, qui sunt vel septimus, vel nonus. *Sed huius ipsius ratio*, ut queritur de partu, ita etiam queri posset de morbo. *Aliqui refundunt* hanc rem in mysterium contentum numero septenario: sed satis certe ludicre, si numerus ipse præcise spectetur, quem enim influxum habere posset? *Alij id attribunt* influxui cælorum. Sed cum idem ipse mensis, qui esset octauus vni partui, esset septimus alteri, & alteri nonus,

Cut partus septimestris vero octimestris vivere soleat.

& in eodem ipso mense sit eadem cælorum constellatio. Prorsus difficile est concipere quomodo influant benigne in eum, qui tum nascitur septimo ac nono, maligne autem in eum qui octavo.

Mibi ratio videtur esse, quod qui nascitur septimo mense, habeat dispositiones tum, quæ resistere possint qualitatibus aduersantibus, quæ extra ventrem facile alias in eo causare possent, non possint vero tam facile intra ventrem. Si autem detineatur ulterius vsque ad octauum, illud temperamentum ac dispositio illa posset intra ventrem sic alterari, vt si prodeat tum, non possit qualitatibus inimicis obsistere; si vero ulterius detineatur vsque ad nonum, potest iterum dispositio, ac temperamentum eius reduci ad talem statum, vt ortus in lucem possit præferre se contra agentia aduersa.

Cur infantes aptiores sint ad actiones naturales, quàm animales.

38. *Quæres secundo*, cur infantes validi sunt, & apti ad actiones naturales nutritionis ac augmentationis, infirmi ac inepti ad actiones animales, hoc est, ad motum localem, stationem, sessionem.

Respondeo, quia illa ipsa dispositio corporis ipsorum, quæ aptior est ad vnas operationes, est ineptior ad alias nam molitudo ac teneritudo iuuans ad recipiendum augmentum, impedit sine dubio quo minus sint tam fortes, quam necessarium esset vt possint facile stare, & sedere.

Cur pueri maturius sapientes non diu viuunt, aut postea minus sapientia.

Quæres tertio, cur pueri, qui citius maturescunt ad sapientiam, aut non diu viuunt, aut postea plerumque minori polleant ingenio, vt colligitur experientia, quæ locum dedit proverbio: *Odi pueros præcoci sapientia.*

Respondeo, quia dispositio illa, quæ iuuat ad ingenium & prudentiam, minus apta est ad conseruationem vitæ pro illo statu; ac consequenter ad resistendum agentibus contrariis, quæ propterea vel adimunt vitam, vel certe aliam dispositionem ineptam prudentiæ introducent.

39. *Conimbricenses* videntur particularius huius rationem dare asserentes pueros propterea solere esse minus aptos ad prudentiam, quia nimio humore abundant, qui vel impedit, vel perturbat operationes sensuum, quibus comparamus sapientiam; vnde qui præmature sapiunt, oportet vt etiam habeant maturius siccitatem cerebri ad ingenium iuuantem, quæ siccitas cum progressu temporis excreuerit, aut inducet mortem, aut organum ineptius reddet ad operationes conducentes ad prudentiam. Sed certe, nisi recurratur ad præmissam nostram rationem, hæc per se non satisfacit; nam ij, in quibus siccitas mature producta est, quique propterea mature sapere incipiunt, solent diutius longe conseruare illam siccitatem & vitam consequenter, ac ingenium, quam ij quibus immature communicatur siccitas illa, & qui propterea immature sapere incipiunt: ergo licet ex immatura communicatione siccitatis posset fieri, quod minus diu viuerent, aut minus diu conseruarent ingenium, quam quibus mature communicatur; non sequitur tamen ex hoc præcise, quod tanta esset differentia in conseruatione vitæ, aut prudentiæ inter vtrosque, quanta constat esse experientia.

Querunt præterea Conimbricenses, an esu arboris vitalis in Paradyso constitutæ, primi parentes & eorum posteritas, si maneret in Paradyso, conseruare possent perpetuo florem iuuentutis ex natura physica illius arboris. Sed hanc difficultatem vt mere Theologicam in ipsa Theologia examinandam relinquo.

QVÆSTIO VII.

De Morte, & Vita.

Quid vita.

40. **V**ita, de qua hic, est coniunctio animæ cum corpore; hanc coniunctionem Philosophus hic describit esse *permanentionem animæ vegetatricis cum calore*. Quam descriptionem explicare laborant *Conimbricenses*, sed certe vix ita explicari potest, quin patiatur multas difficultates, nam si maneret anima coniuncta corpori absque calore, aut cum frigore, homo adhuc viueret, & dum viuit, non solum habet animam coniunctam cum calore, sed cum aliis qualitatibus frigoris, humoris, siccitatis. Vnde longe facilius, & clarior est nostra descriptio.

Occasione autem forte istius Aristotelicæ definitio-

nis, querunt *Conimbricenses*, an ita calor ad functiones vitæ concurrat, vt non etiam concurrat per se frigus, sed solum per accidens, quatenus scilicet deseruit ad temperandum calorem. Et respondent affirmatiue cum Galeno, & aliis Medicis, vnde existimant, quod si quis temperatum haberet calorem absque vilo frigore, æque posset omnes operationes vitæ exercere, ac si haberet calorem; quod si verum esset, & eorum etiam sententia vera censenda esset: sed longe probabilius puto, vt homo, & idem est de cæteris animalibus, exigit ex natura sua temperamentum ex quatuor primis qualitatibus, & consequenter, frigus quod est vnum ex illis in aliquo gradu: ita etiam frigus per se concurrere ad operationes vitales ipsius, & non solum quatenus temperat calorem. Nec refert quod frigus excedens de se impediatur omnes actiones vitales: nam hinc non sequitur quin sit necessarium in aliquo gradu remisso. Quod confirmatur ex eo, quod etiam calor excedens impediatur illas operationes, quem tamen fatentur aduersarij per se ad illas concurrere, & non tantum per accidens.

Frigus enim currit per se ad operationes vitales.

Dices, cum *Conimbricenses*, calori per accidens conuenire, quod impediatur illas operationes, frigori vero per se, vt colligitur ex eo, quod crescente frigore minuatut perfectio in operando.

Contra, quia non potest ostendi quomodo id per accidens ipsi conueniat magis quam frigori. Deinde, si per accidens id conueniat calori, debet esse alia causa, quæ per se illum effectum facit, & talis assignari nequit. Ad probationem ipsorum dico, non minui virtutem operationem per frigus, donec venit ad intensionem aliquam, in qua noceat; idem autem sequitur etiam de calore; vnde illa probatio nihil concludit.

41. *Mors* definitur à *Conimbricenses* esse *discessus animæ à corpore ob defectum innati caloris*. In qua descriptione vltima illa particula superfluit, & posset esse falsa, superfluit quidem, quia sufficeret pro descriptione mortis quod diceretur *discessus animæ à corpore*, posset autem esse falsa, quia Deus posset separare animam à corpore sine tali defectu, & tum esset mors absque illo defectu. Deinde licet esset verum quod nunquam posset contingere mors, nisi ob defectum caloris, tamen in definitionibus non debent principia extrinseca, neque ordo ad illa poni, nisi quando id esset necessarium ad res definitas ab aliis aliquibus rebus discernendas, vnde non recte quis describeret animam esse actum corporis organici potentia vitæ habentis, à solo Deo producibilem, quamuis non nisi à solo Deo produci posset.

Quid mors.

Melius ergo describitur mors esse discessus animæ à corpore. Vbi tamen per discessum, non debet intelligi discessus, qui fieret per motum, aut mutationem localem; sed ablatio coniunctionis animæ cum corpore, siue anima recedat localiter, aut etiam existat vlla ratione, siue non recedat nec existat, alias nulla animantia morerentur, præter hominem, quia nullorum aliorum animæ post separationem manent realiter existentes, aut consequenter recedunt localiter à corpore.

Quia vero moriuntur animalia duobus modis, per violentiam scilicet externam, vt gladio, submersione, suspendio, combustionem, & aliis similibus modis, & per senium, aut infirmitatem, duo mortis genera statui solent: vnum naturalis, quæ scilicet succedit, vel senio, vel infirmitate; aliud violentiæ, quæ adfertur per vim extrinsecam. In quo nulla potest esse difficultas, nisi de nomine.

QVÆSTIO VLTIMA.

De longitudine, & breuitate vitæ.

42. **A**liqua animalia aliis longius viuere, alia breuius, & ex hominibus ipsis quosdam ad plures annos, quosdam ad pauciores protrahere suos dies, notissimum est quotidiana experientia, ad quod iuuare non dubium est complexionem intrinsecam animalis, influxum caelestium corporum, conditionem loci, victus rationem, & absentiam ac præsentiam causarum, quæ per vim, aut violentiam eripere possunt vitam, nec de hac re plus spectare mihi videtur ad hoc institutum. Vnde hæc sufficiant de Paruis Naturalibus ad Dei gloriam.

Vnde proveniat longitudo, & breuitas vitæ.

TRACTA